

05

A

1461



EXERCITATIO TERTIA

*De ordine decretorum divinatorum in salute humani generis
constituendâ, & primò quidem*

De

VOLUNTATE

DEI BENEVOLENTIS-

SIMA ET MISERICORDISSIMA

ERGA TOTUM GENUS HUMANUM,

Sub benevolentiss- & misericordiss. DEI auspicio,

IN INCLUTA WITTEBERGENSIUM ACADEMIA

ad disputandum publicè proposita,

PRÆSIDE

JOHANNNE SCHARFIO, SS.

Theol. D. Prof. Publ. & Amplissimi Collegii phi-

losoph. h. t. DECANO SPECTABILI,

RESPONDENTE

M. HARTVVICO Sittmann /

Otterndorpiò-Hadelensi

IN ACROATERIO Colleg. Veteris,

Ad diem XVII. Februarij. hor. matut.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ typographicâ JOHANNIS HAKEN.

ANNO M. DC. XLIIIX.



05 A 1464





PROOEMIUM.

HUc usq; egimus de terminis in Articulo fidei, de Prædeterminatione fidelium, occurrentibus, proximum est, ut de ordine docendi, sive tractandi, quædam præcipiamus. Necessarium omninò est, ut cautè & religiosè hic agamus, totamq; causam è suis principijs & causis ordine deducamus atq; exponamus, præcipue cum ab adversarijs Calvinianis hinc quoq; pessimè erretur, & universa tractatio alioquin reddatur periculosissima, & undiquaq; intricata nimis. Quam in rem rectè scribit graviterq; monet liber Concord, artic. XI. *æterna sanè electio seu ordinatio Dei ad vitam æternam non nudè in arcano illo cælesti & imperscrutabili Dei cõsilio consideranda est, quasi ea nihil prætere complectatur, aut ad eam requiratur, aut in ea meditanda expendendū sit, nisi hoc: quod Deus præviderit, quinam & quot homines salutem sint consecuturi: & qui, atq; quam multi in æternum sint perituri: aut quasi Dominus militarem quendam delectum instituerit, atq; dixerit aut statuerit: hic salvandus est, ille verò damnandus: hic ad finē usq; in fide constans perseverabit, ille vero non perseveraturus est: ex opinione ista multi absurdas periculosas & perniciosas cogitationes hauriunt, que aut securitatem & impenitentiam, aut angustias & desperationem in mentibus hominum gignunt & confirmant.* Hæc fideliter monentur. Circumspiciendum itaq; sedulò est, ne hic aberremus, nec sine ordine divagemur, sed omnia *εὐσεβῶς, ὑγιεινῶς καὶ σωφρογῶς*, piè, prudenter, & sobriè perpendamus.

THESES. I. Ordo tractandi & docendi, quem in prædeterminatione observare convenit, ex ordine divinarum decretorum dependet, pro ut ea secundum signa & instantia conceptus nostri distinctè considerantur, atq; in verbo Dei distinctè revelantur, nec non notanter exprimuntur, & designantur juxta seriem & ordinem, quem Deus observat in executione voluntatis suæ, & reparatione generis humani, ejusq; salvatione ac informatione. Quo-

Ordo doctrine de prædeterminatione observandus.

modo enim Deus in tempore sua exsequitur decreta, eodem modo
 & facta eadem esse colligimus: Quem ordinem Deus observat in
 hominum salute præparanda & reparandâ, in peccatoribus resti-
 tuendis, ac salvandis, eundem & decrevisse ab æterno, ac sic for-
 malle statuamus oportet, præeunte tamen sacrâ Scriptura, ceu re-
 velatione divina, extra & præter quam hic nihil præsumere licet,
 nec aliter, aut aliunde vel quicquam hæc in causa decernere possu-
 mus. Non absconditus Deus hic scrutandus nobis est, sed revela-
 tus intentè aspiciendus, ut graviter monet *Luther. in enarratio-*
tionibus super Gen. cap. 26. non arcana & abstrusa Dei consilia rima-
 ri convenit, sed in verbo revelato unicè consistamus oportet, ut
 inde discamus, quid de nobis in æternæ salutis negotio Dominus
 decreverit. Totum enim Dei beneplacitum, omneq; ejus consili-
 um de ratione salutis æternæ evidenter revelatum est. *Act. XX. v. 29.*
26. 27. Adeò ut anathema dicatur ei, qui aliud Evangelium
 allatum cupiat. *Gal. I. v. 8.* Sapientia Dei in mysterio latitans &
 multiformis Dei sapientia nunc patefacta est *I. Cor. II. v. 7. 10. Eph. I.*
v. 8. 9. 13. 14. cap. III. v. 3. 5. 8. 9. 10. &c. Verbum fidei propè est in
 ore ac cordo nostro *Deut. XXX. v. 14. Rom. X. v. 6. 7. 8.* Rectè ac fi-
 deliter monet *Luther. in præfat. German. super Epistolam ad*
Rom. Hie ist den freveln vnd hochfarenden Geistern ein Mal zu
stecken / die ihren Verstand am ersten hieher führen / vnd oben an-
heben / zuvor den abgrund Göttlicher versehenung zu forschen vnd
vergeblich damit sich bekümmern / ob Sie versehen sind. Die müs-
sen sich selbst stürzen / daß sie entweder verzagen / oder sich in die
frene schanze schlagen. Verè August. de verbis Apostoli sermon. 7. qui-
 dam euntes post cogitationes suas loquentes de Dei profundo,
 meri sunt in profundum, Commodè etiam loquitur *Hilarius*
lib. 5. de Trinitat. non est de divina prædestinatione humanis judi-
 ciijs sentiendum. Neq; enim nobis ea natura est, ut se in cæle-
 stem cognitionem suis viribus efferat: à Deo discendum est, quid
 de Deo, Deiq; voluntate sit intelligendum, quia Deus, non nisi
 Deo autore, cognoscitur, qui per suum verbum docet homines.

THES. II. Illud autem primò omnium à Deo discimus de
 Deo, quod ipse initiò condiderit homines in Adamo omnes, non
 ad malum,

ad malum, non ad lapsum, & peccata, non ad mortem exiti-
umq; æternum, sed ad bonum tam naturale, quam morale spiritua-
le ac cæleste, ad imaginem suam in veritate, justitia, sanctitate,
libertate, immortalitate, summaq; felicitate, quâ in perpetuum le- *Creatio*
gitime frueretur. Uti palam constat *ex Gen. I. v. 26. 27. Sap. II. v. 23. Coll. III. v. 20. Ephes. IV. v. 24. Syr. XV. v. 11. 12. 14. 15. 17.* Nul- *hominum.*
lum itaque hic constituendum aut fingendum est decretum Dei de
prædestinando homine ad lapsum, ad interitum, cujus executio sit
creatio, uti Calvinistæ comminiscuntur. Errant omninò ab-
soluti reprobationis decreti conditores, qui supra lapsum Adæ
sic ascendunt, ut in Deo comminiscantur decretum prius & supe-
rius lapsu hominum: unde hic dependeat, & ex quo decreto im-
mutabili labi necessariò debuerint homines, eumq; in finem sint
conditi, ut laberentur, indeq; maxima hominum pars in æter-
num periret. Hic fons, hæc origo errorum & blasphemiarum
calvinisticarum est. Quam in rem Calvinus *lib. 3. instit. cap. 21. Sect. 5.* sic scribit: *Non pari conditione creantur homines omnes: sed* *Calvinus.*
aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaq; prout in
alterum finem quisq; conditus est, ita vel ad vitam, vel ad mortem
prædestinatum dicimus: & cap. 3. 2. v. 9. Beza *vol. 1. fol. 190.* Cum *Beza.*
Dominus iis causis adductus, quas ipse solus novit, proposuisset
eos in hunc finem creare, ut in ipsis iram & potentiam suam o-
stenderet, simul eas causas gradatim ordinavit. &c. *Vol. 3. fol.*
430. itidem scribit, Deum aliquos ad dedecus condidisse, &c. *Perkinsus.*
Perkinsus pag. 26. Deus pro summo jure sua vasa ad iram facit, *Zanchius.*
non invenit. *Zanchius in confess. & alibi passim disputat,* Deum præpa-
rasse homines ad interitum. *Piscator contra Schaffmannum,* Deus *Piscator.*
hoc consilio condidit homines, ut re ipsa laberentur, quippe cū nō
nisi hac ratione pervenire potuerit ad fines illos suos principales
&c. Hæc erronea omnia, nec non blasphema sunt. Rectius san-
ctiusq; docent orthodoxi Ecclesiæ Doctores, & sancti patres. *Chry-*
ostomus in Homil. de interdicto arboris, manifestum est, scribit, De-
um noluisse Adam peccare, quia voluit eum ante delictum præ-
struere, potuit Adam Deo parere, quod noluit, quia consentire
Diabolo maluit. *S. August. in art. sibi falso oppositis art. 2.* Omni-
um qui

um quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideo creatus est, ut pereat: quia alia causa nascendi est, aliapereundi. Ut enim nascantur homines, beneficium est: ut autem pereant, prævaricationis vitium est. Quare nullo modo existimandum est, quod creator clementissimus causa sit perditionis hominum iniquorum, qui ad eum per penitentiam nolunt converti: Sed unusquisque in suo peccato interibit, ut graviter pronunciat S. Hieronymus lib. 2. Commentar. in lamentationes Jeremie ad cap. 3. Confer omnino S. Tertullianum lib. 11. adversus Marcion cap. 5.

Christus
Redemptor
omnibus
lapsis pro-
missus &
datus.

THESES. III. Deinde & hoc ex verbo Dei aperte constat, quod lapsorum hominum misertus clementissimus Deus promiserit illis Christum Redemptorem & salvatorem totius mundi Gen. 3. v. 15. eumque in plenitudine temporis, omnibus & singulis in Adamo perditis miserit ut eorum animas salvaret Matt. XVIII. v. 11. Luc. IX. v. 5. 6. Rom. V. v. 15. 17. 18. 19. I. Cor. XV. v. 22. Et hoc itaque sic Deus in tempore se facturum ab æterno decrevit. Unde manifestò patet, quod etiam decretum de mittendo Christo in signo rationis divinæ præcesserit, & prius sit decreto prædestinationis seu electionis, seu salvandi solos in Redemptorem credituros, quodque adeò successerit decreto permittendi & puniendi pro peccatorum lapsu. Contrarium ex nullo Scripturæ sacre dicto probari potest. Errant hic rursus graviter atque enormiter Calvinistæ, qui missionem Christi faciunt effectum adæquatum & propriè executivum prædestinationis. Quod non modò faciunt supra-lapsarij, ut in Belgio vocantur, sed promiscuè omnes absolutæ electionis assertores, etiam Dordrechtani patres in Actis synodi ad Artic. 2. in collat. Hagienfi &c. Qua de re infra ex instituto agemus.

THESES. IV. Porro manifestum evadit ex literis & documentis divinis, quod gratia per Christum, Mediatorem, parta omnibus hominibus promiscuè sine discrimine electorum aut reproborum annuntietur, & ad eam capessendam seriò vocentur, uti primum Evangelium in domo & familia Adami omnibus filiis ejus, & posteris prædicatur, non Abeli modò, sed & Caino, sacrificia pro omnibus offerebantur: & sic porro. Hinc ex vocatis justificati, sanctificati, & perseveranter in Christum credituri, tandem prædestinan-
tur, &

tur, & eliguntur ad vitam æternam. Reliqui aspernantes gratiam vocationis reprobantur. Sic ex vocatis ad regias nuptias pauci eliguntur, *Matth. XXII. v. 14.* Veste nuptiali destituti ejiciuntur. *ibid.* plurimi vocati non gustabunt cœnam Domini *Luc. XIV. v.*

*Evangelium
de Christo
omnibus
annunciatur.*

24. Quare cum DEUS ipse illum ordinem in reparatione generis humani observet præscribatq; nostrum non est, hic ulterius scrutari, aut alium decretorum divinatorum ordinem excogitare, nec licet tanto in fidei mysterio aliter statuere, loqui, docere aut disputare. Quamobrem *lib. Concord. in solidâ articulorum controversorum declaratione artic. XI.* de æternâ prædestinatione rectè ac religiosè scribit monetq;, *ad eum modum divinam electionem meditemur, quemadmodum DEi consilium propositum & ordinatio in Christo JESU (qui est verus ille liber vitæ) per verbum nobis revelatur. Totam igitur doctrinam de proposito, consilio, voluntate & ordinatione DEi (omnia videlicet, quæ ad nostram redemptionem, vocationem, justificationem & salutem pertinent) simul mente complectamur. Sic enim D. Paulus hunc articulum in scriptis suis tractavit, & explicuit. Idem fecit Christus in parabola illa de nuptiis regis.*

THESES. V. Nimirum illa omnia decreta de universali benevolentissimâ & misericordissimâ DEi voluntate erga totum genus humanum, de universali omnium lapsorum & peccatorum reparatione, de universali omnium redemptorum vocatione, hic cetera priora decreto prædestinationis, præsupponenda semper sunt, nec sine illis præconceptis tantâ de re differendum, aut vel quicquam statuendum est. Quod ipsum rursus rectè ac ordine inculcat *lib. Concord. d. l.* videlicet DEUS in suo consilio & proposito decrevit hæc.

Liber Concordie

I. Ut humanum genus verè redimeretur, atq; cum DEO per Christum reconciliaretur: qui nobis innocentiam atq; perfectissimâ obedientiam, passionem ac mortem acerbissimâ justitiam, quæ coram ipso valet, & vitam æternam promeruit.

II. Ut Christi meritum ejusq; beneficia per verbum & Sacramenta nobis offererentur, exhiberentur & distribuarentur.

III. Decrevit etiam, se Spiritu S. suo per verbum annunciatum, auditione perceptum, & memoriæ accommodatum, velle
in nobis

in nobis efficacem esse, & corda ad veram poenitentiam agendam inflectere, & in verâ fide conservare.

IV. Illius æternum propositum est, quod omnes, qui poenitentiam verè agunt, & Christum verâ fide amplectuntur, justificare, in gratiâ recipere, & in filios & hæredes vitæ æternæ adoptare velit.

V. Et quod fide justificatos in verâ charitate sanctificare velit, ut testatur Apostolus. Eph. I.

VI. Idem in æterno suo consilio proposuit: se justificatos etiam in multiplici & varia ipsorum infirmitate adversus Diabolum, mundum & carnem, defensurum, & in vijs suis deducturum atq; gubernaturum; & si lapsi fuerint, manum suppositurum, ut in cruce atq; tentationibus solidam consolationem percipiant, atq; ad vitam conserventur.

VII. Illius æternum decretum est, quod opus illud bonum, à se in illis inceptum promovere atq; confirmare & ad finem usque conservare velit: si modò verbo ipsius, tanquam scipioni constanter innitantur, ipsius opem ardentibus precibus implorent, in gratia DEi perseverent, & dona accepta fideliter & benè collocent.

VIII. Ille idem in æterno consilio suo decrevit, quod eos, quos elegit, vocavit, justificavit, in altera illa vita salvos facere & æterna gloria ornare velit. Hæc ita ordine ac diligenter consideranda sunt. Eandem in rem scribit, monetque Lutherus in præfatione super Epistol. ad Romanos: Folge du dieser Epistel in ihrer ordnung / bekümmer dich zuvor mit Christo vnd dem Evangelio / daß du deine Sünde vnd seine Gnade erkennest. Darnach mit der Sünde streitest / wie hie daß 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. Capitel geleret haben. Darnach wenn du in das 8. Capitel kommen bist / vnter das Creuz vnd Leiden / das wird dich recht lehren die vernehmung in 9. 10. vnd 11. Capitel wie tröstlich sie sey. Denn ohne Leid / Creuz vnd Todes nöthen kan man die vernehmung nicht ohne schaden vnd heimlichen Zorn wider Gott handeln. Darumb muß Adam zuvor wohl todt sein / ehe er diß ding leide / vnd den starcken Wein trincke. Darumb siehe dich für / das du nicht Wein trinckest / weil du noch ein Seugling bist / ein jegliche Lehre hat ihre masse / zeit vnd alter.

THE S. VI.

THESES. VI. Idem notare licet in ordine doctrinae Evangelicae, quem Christus Evangelistae & Apostoli observarunt in informatione, ac conversione hominum, nec non in universa pedia Christiana. Nunquam illi exordiuntur fidei doctrinam à praedestinatione, nisi gratiam Dei & Christum Jesum prius inculcaverint, vel disertè praesupposuerint. Nusquam illi primae religionis Christianae elementa accersunt à praedestinatione, nusquam ab ista, tanquam ab origine, beneficia salutis suspendunt aut derivant; sed alia fidei capita semper praemittunt, praesertim Dei & Christi cognitionem, gratiam redemptionis, vocationis, justificationis & Sanctificationis, uti ex Epistola ad Roman. abunde constat: id quod modò Beatus Lutherus emphaticè indigitaverat. Quin etiam in Epistola ad Ephesios, in qua signanter agitur de electione ad gratiam & gloriam, ut observat D. Hülsemannus in repetitione breviarii Theologici cap. 15. praesupponitur gratia Dei patris & Jesu Christi: Unde omnis benedictio tam spiritualis, quam caelestis procedit. Eph. 1. v. 2. 3. Certè nunquam in toto Dei verbo agitur de praedestinatione, tanquam primo fidei principio, sine praecedentè gratiâ Dei & Christi.

Ordo doctrinae Evangelicae.

THESES. VII. Egregiè hanc rem totam demonstrat atq; illustrat D. Hülsemannus, cujus verba notatu dignissima huc adscribere liceat. Sic autem scribit dicto loco. Deus servat illum ordinem in informatione hominis, ut praemittat ea Christianae fidei dogmata, quae ad hypotheses sive infidelium, sive Judaorum (pro diversitate subjectorum) quam proximè accedebant: Quibus deinde superstruit mysteria à singulari revelatione divinâ dependentia, eo ordine, quo media salutis sese invicem tempore consequuntur. Act. XIV. 15. seq. Paulus & Barnabas initium informandi gentiles in Lycaonia faciebant à doctrina de vero Deo, de modo legitimi cultus divini, de obligatione hominis, nascente ex beneficiis divinis temporibus, & sic transitum fecerunt ad doctrinam de beneficiis spiritualibus per Christum impetratis & exhibitis, Redemptione, vocatione, justificatione, sanctificatione, conservatione, praedestinatione, & glorificatione. cap. XVII. v. 24. 30. Apud Athenienses Idololatra eadem methodo progreditur Apostolus, & post doctrinam de vero Deo, vero ejus cultu, vocatione

B

ad peni-

ad penitentiam, fide in Christum, tandem addit doctrinam de decre-
to Dei glorificandi fideles perseverantes. Rom. cap. I. II. III. IV. seq. A
cognitione & cultu Dei naturali, eiq; oppositis vitiis progreditur cap. I.
& II. Apostolus ad doctrinam de cognitione supernaturali Dei salvatoris,
impotentia naturali ad cognoscendum & colendum eum, de beneficiis
& modo Redemptionis & justificationis cap. 3. & 4. sancti-
ficationis cap. 5. 6. 7. 8. & deniq; predestinationis ad vi-
tam eternam, oppositæq; Reprobationis cap. 9. Marc. 1. 15. & seqq. Ve-
nit Jesus in Galileam, prædicans Evangelium Regni Dei & dicens:
Quia impletum est tempus (exhibitioni Messie destinatum) igitur peni-
tentiam agite & credite Evangelio. Contenta Evangelij de persona,
officio & beneficijs Jesu Christi, de instrumentis liberansibus à
peccato, prædicatione verbi, Baptismo, penitentia ex parte au-
ditorum: mox initio Baptismi & prædicationis Christi ipso primo
cap. Marc. proponuntur, à quibus factum est catecheseos initium.
Act. 11. 36. 37. seq. cap. 11. 13. ad 26. Post ascensionem Christi omnis
dogmatica propositio Apostolorum ad Judæos initum fecit à do-
ctrina de persona, officio & beneficijs Christi, de modis conse-
quendi illa beneficia per penitentiam & susceptionem Baptismi
&c. Nusquam leguntur initium doctrinæ fecisse à prædestinatio-
ne, aut beneficia salutis ab illa, tanquam origine, exorsi, & prima
elementa doctrinæ Christianæ à prædestinatione accersivisse Cap.
VIII. 35. 37. &c. Philippus capita informandi Eunuchum sic or-
dinat, ut de persona, missione & satisfactione Christi illi prædica-
ret. Alia ratio est de conversis in fide confirmandis: ut patet ex
Ephes. 1. 4. 15. Ephesij aliq; jam ante in fide Christiana ab Apostolo in-
stituti, non admonentur eo ordine doctrinæ in Epistolis, quo catechi-
zantur adducendi ad fidem Christianam, sed initio Epistolæ ad Ephesios
inter beneficia spiritalia primo loco collocatur Electio ad gratiam &
gloriam; postea alia beneficia tempore posteriora, & fit locatio secun-
dum ordinem temporis, quo existere cœperunt: non autem secundum
ordinem cognitionis, quo cognoscere oportet ista beneficia in ca-
techesi Christiana 1. pet. 1. 2. 6. 7. Petrus Apostolus dispersos per
Pontum, Galatiam Cappadociam &c. Per afflictionum toleran-
tiam confirmandos, vocat electos advenas ex præscientia Dei pa-
tris. in

tris in sanctificatione Spiritus, ad obedientiam & percipiendam
 ablutioem ex sanguine Christi &c. Non autem docet, quod
 doctrina de prædestinatione sit *primum caput in pædia Christiana*
 ante beneficia Redemptionis, vocationis, justificationis, &c. pro-
 ponendum *I. Petr. I. 1. 2. & seq.* Simon Petrus ijs, qui æqua-
 lem nobiscum sortiti sunt fidem &c. Gratia vobis & pax multipli-
 cetur in cognitione Dei & Jesu Christi, Domini nostri. Quemad-
 modum omnia divinæ virtutis ejus, quæ ad vitam & pietatem re-
 quiruntur nobis donata sunt &c. Ut divinæ consortes efficiamini
 naturæ fugientes mundanæ concupiscentiæ corruptionem &c. Ita-
 que date operam, ut exhibeatis in fide vestra virtutem, in virtute
 scientiam, in scientia continentiam, in continentia patienti-
 am, in patientia pietatem, in pietate philadelphiam, in philadel-
 phia communem proximo dilectionem &c. *Nihil hic de prædestina-
 tionis doctrina, tamquam primo elemento credendorum, sed de divi-
 na virtute Christi, quæ omnia ad vitam æternam consequendam
 nobis necessaria donavit.* Sic *Ebr. VI. v. 1. 2. 3.* Doctrina de
 penitentia agenda, de fide in Deum locanda, de Baptismo, de Ab-
 solutione, Resurrectione mortuorum, & extremo judicio voca-
 tur λόγος τῆς δεξιᾶς τῆ χειρὸς καὶ θεμελίον: sermo à quo incipit
 doctrina de Christo: in quo fundamenta doctrinæ christianæ jaci-
 enda sunt. Non doctrina de prædestinationis & reprobationis
 decreto. *Contra Calvinistas, & plerosq; modernos Pontificios.* Pla-
 ra videantur ibid.

THES. VIII. Ex quibus omnibus evidenter patet, quis
 ordo decretorū divinorum in salute generis humani constituenda
 & procuranda divinitus constituatur, quemque & nos propterea
 in doctrina prædestinationis observare debeamus. Nempe non
 eum, quem Calvinistæ fabricant, qui *decretum prædestinationis an-*
teponunt decreto sive creationis, ut supra lapsarij, sive reparationis, re-
demptionis & vocationis, ut sublapsarij, & hodie cōmuniter omnes,
 & ita quidem illud præsupponunt, ut ejus exsecutio sint, sive crea-
 tio, sive reparatio generis humani, redemptio, vocatio, justifica-
 tio, sanctificatio. Quæ propterea ex illo decreto prædestinationis
 disparent penitus, diversosq; inde sortiantur fines, & effecta.

*Ordo de-
 cretorum
 Calvinisti-
 cus.*

Prout nimirum ab æterno prius prædestinati fuerant homines, ita creentur in diversos fines, uti supra ex Calvino, Beza, Zanchio & Piscatore audivimus, vel ita in lapsu & peccatis suis diversas prorsus nanciscantur sortes, ut prædestinati ad bonum, ad vitam, ad salutem æternam, verè ac efficaciter à Christo redimantur, seriò vocentur, verè convertantur, justificentur, fide donentur. &c. Reliqui plurimi prius destinati ad malum, ad mortem, ad exitium, non item, non pariter reparentur, non efficaciter vocentur, sed relinquuntur in sua miseria, prætereantur, & reprobentur. Hac perversissima decretorum divinorum ordinatio est. Fons & fundus sectæ Calvinisticæ. Alium omninò ordinem ex verbo Dei, & executione operum divinorum constituamus oportet, ita ut

*Verus or-
do decre-
torum di-
vinorum.*

primum decretum πρωτογενεσιῶν, primæ creationis, *ωρονοιας*, dictionis, & permissionis sit: quo constituit Deus ab æterno omnes in Adamo homines creare ad imaginem suam in veritate, justitia & sanctitate &c. Ut si in ea integritate ac innocentia permanerent, æterna fruèrentur felicitate, ut supra Theſ. 2. præmonuimus. Alterum Dei decretum est *παλιγενεσιῶν* reparationis & redemptionis, quo Deus opt. Max. pro immensa sua clementia & misericordia constituit lapsos homines, quos ex abusu libertatis & arbitrij sui lapsuros præviderat, in gratiam recipere, omnium misereri, omnesque & singulos in lapsu Adæ perditos per Christum redimere. Tertium est decretum *κωνοιας* vocationis, in quo Dominus constituit gratiam à Christo partam omnibus annunciare, atque offerre, ad seriò vocare, informare, illuminare, convertere, justificare, sanctificare &c. Quæ omnia prædestinationem divinam præcedunt & ordine præsupponenda sunt, si rectè de prædestinatione hominum sentire ac docere velimus.

*Decretum
Creationis*

THEſ. IX. De decreto creationis non est, quod nunc operose agamus. Constat ex superioribus, quomodo Deus hominem creaverit, non ad malum, non ad lapsum, non ad mortem, sed ad bona, in vitæ sanctimoniam, ad vitam æternam, & hodie contra Calvinistas tota contentio agitatur de prædestinatione lapsorum & peccatorum. Præsupponimus nunc tanquam certum. 1. Decretum creationis esse prius decreto Electionis & prædestinationis.

2. Contra

2. Contra Dei voluntatem & beneplacitum lapsos esse primos homines. 3. Nec eò per ullum Dei decretum prædestinatos fuisse, ut laberentur, quamquam permiserit lapsum. 4. Nec voluisse sanctissimum Deum per præordinationem lapsus, sibi viam parare ad declarandam iustitiam & misericordiam, ut inde haberet ansam sive causam erga lapsos, quorum misereatur, vel quos puniat. *Crudelis misericordia est, crudelis medicina, qua raiiserum, qua ægrum facit, ut sit locus miserendi & medendi.* Hæc rectius considerent Calvinistæ, tum crassi illi, qui creationem hominum ad imaginem Dei in iustitia, veritate ac sanctitate cum Piscatore interpretantur *de forma creationis*, non de fine ejus. Quasi homo sit conditus, justus quidem & sanctus; sed non eum in finem, ut justè sanctèq; viveret in perpetuum; verum potius ut laberetur, ut injustè ageret, sicq; propter lapsum & peccatum suum justè puniri posset, plurimiq; damnari. Quæ blasphema opinio est: tum eadem observent & illi, qui lapsum hominis constituunt *medium glorie divine declarativum*, quasi Deus in voluntate beneplaciti sui eatenus voluerit lapsum & peccata hominum, ut inde suam gloriam declararet, partim misericordiam erga paucos manifestando, partim iustitiam erga plurimos exercendo. Quæ communis omnium Calvinistarum doctrina est. Profectò erronea satis, nec parùm impia, ut in secunda dissertatione prolixè demonstravimus.

THESES. X. De decreto *παλινορθωσις*, reparationis & redemptionis despiciendum primò omnium erit. Hoc, inquam, prius est *decreto prædestinationis* seu electionis, nec inde tanquam è principio dependet: idq; occupatur circa lapsos homines reparandos & redimendos & lapsui primorum parentum immediate successit, adeoq; in signo rationis divinæ præcessit prædestinationem sive electionem, quæ respicit solos credituros in Redemptorem & ex redemptis, reconciliatis, vocatis, justificatis sanctificatis eligit perseveranter & finaliter in Christum Salvatorem unicum credituros. Magnus Chemnitius hanc in rem eruditè scribit in *Magni Chemnitij consiliata de tradendo* examine Concil. Trident. graviterq; monet; *doctrina prædestinationis proponit decreta à Deo facta, & postea in verbo revelata, de causis & modo salvandi aut damnandi, Ut est 1. Decretum de redimendo genere humano,*

humano, per obedientiam & passionem Christi Mediatoris. 2. Decretum de vocandis per ministerium verbi, tam Judæis quam Gentibus, ad communionem meriti Christi, ad salutem. 3. Decretum Dei quod Spiritus S. velit per auditum verbi in cordibus hominum operari, ut agant poenitentiam, & credant Evangelio. 4. Decretum Dei, quod illos, qui, cum sentiunt peccata sua & iram DEI, fide confugiunt ad thronum gratiæ, & Christum Mediatorem in Promissione Evangelij propositum amplectuntur, velit justificare, & salvare, abjicientes verò verbum, aspernantes, & non amplectentes promissionem, velit damnare.

THESES. XI. Tria a. ibi ordine consideranda veniunt. I. Voluntas DEI erga lapsos. II. Missio Christi Mediatoris & Redemptoris. III. Evangelij de Christo prædicatio & Annunciatio: quod gratia Christi salvifica omnibus offeratur in salutem æternam. Quo pertinet *Universa gratia Vocationis*, prout eam B. Chemnitius modò proposuerat. Voluntas DEI benevolentissima & misericordissima est erga omnes lapsos, miserosq; peccatores, quin imo æqualis *φιλανθρωπία*, æqualis amor, æqualis affectus, quantum attinet voluntatem reparandi, redimendi, vocandi, salvandi, qua ex communi miseria omnes æquè eruantur per Christum Salvatorem. Rectè ac graviter scribit S. Cyprianus Epistola 76. *Si dies omnibus equaliter oritur, si sol super omnes pari & equali luce diffunditur, quantò magis Christus, sol & dies verus, in Ecclesia sua lumen vite æternæ pari equalitate largitur.* Item Arnobius lib. 2. adversus gentes: *Annon equaliter liberat, qui equaliter omnes vocat, aut ab indulgentia principati neminem repellit aut respuit, qui sublimibus infimis, servis, fœminis, pueris, uniformiter potestatem veniendi ad se facit? patet omnibus fons vite &c.* Tantam Deus adhibet gratiam erga omnes equaliter: ait Chrysostom. Homil. 45. in Matthæum.

Voluntas
Dei.

THESES. XII. Ac primò quidem de Voluntate beneplaciti divini tenendum præcipuè est, quod ea benevolentissima & misericordissima sit erga omnes lapsos peccatores, quod Dominus, Deus, & Paternoster, infinitè bonus, sua natura adeò benignus sit, & tanto amore paterno prosequatur suas creaturas, ut neminem hominum ex sola & mera *εὐδοκία*, ex simplici aut absolutâ voluntate, repro-

reprobet, sive prætereat, sive relinquat in miseria, sive non eligat, sine peculiari ac fonticâ culpâ & noxa. Nimirum prima & propriissima Dei voluntas est benevelle & benefacere omnibus hominibus, adeoque providere sedulo, ne ullus moriatur in peccatis suis, sed omnes vivant, salventur atque convertantur. Vocatur antedicens Dei voluntas, *ἡ ἐγγυσμὸς*. Damasc. lib. 2. de orthodox. fide cap. 29. & in dialog. contr. Manichæos, *ἡ ἐγγυσμὸς θελήματα, εὐδοκία*. Chrysost. homil. 1. in Epistola ad Ephesios. *πρωτων θελήματα*, præcipua voluntas. Quam suam benignissimam voluntatem Jehova ipse graviter proponit atq; contestatur: *An delector morte impij? Sive num quid voluntas mea est in morte impij? dicit Ezech. 18. v. 23. 22. Dominus Deus, & non, ut convertatur à viis suis & vivat? Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini & vivite.* Ubi notetur 1. Causa dicti, quæ versu 4. ponitur. Cur Deus nolit mortem peccatoris, quia scilicet omnes animæ sunt Domini, sive Domino curæ. Quam in re rectè scribit Hieronymus in commentario super cap. 18. Ezech. Omnes, inquit Dominus, animæ meæ sunt, juxta creaturam, non juxta meritum. Ideò omnibus Deus benè cupit, quia omnium Deus & pater est. Quod ipsum etiam Tremellius in notis supra cap. 18. v. 4. observat, docetque, argumentum desumi à natura DEI, quâ tanquam pater amat omnes animas suas. *Æthiologia*, inquit, est (quando dicitur v. 4. Ezech. 18. *En omnes animæ sunt, æq; anima patris, atq; anima filij mea est*) à natura, studioq; Dei in res creatas suas. Quod dicitis, vos injustè poenam alienam luere, vers. 3. ibidem (respondet Jehova Judæis) estis in me contumeliosi. Nam ego, ut omnium creator sum, ita paterno studio erga omnes ducor, non possum à me temerè abalienare quemquam, sed si quis se alienaverit, sua injustitia evenit, non injuria mea. Hæc ille. Rectissimè. Deus enim omnia, quæ sunt in natura diligit, ac nihil eorum, quorum est effector, abominatur, omnibus parcit, cum sit animarum animantissimus. Sap. II. v. 25. 27.

THE S. XIII. Similiter Osee XI. v. 9. Protestatur Dominus, non faciam secundum iram furoris mei, non revertar ad disperdendum Ephraim, quoniam Deus sum, & non homo. Ecce causam, cur velit parcere.

Ezech. 18.
v. 23.

parcere, & non perdere, quia Deus sum, inquit, Jehova: *Infinite bonus, natura benignus & propensus erga omnes creaturas psalm. 145. v. 8. 9.*

THESES. XIV. Notetur in dicto Ezech. XVIII. *vis vocis sive Emphasis verborum*, וְחַחֵן לֹא־וּפְחֵן. Quæ interrogatio fortissimè negat, ut Tremellius & Piscator hic fateri coguntur, & per vehementiam negandi diserte dicitur וְחַחֵן לֹא־וּפְחֵן *vers. 32. non volo, renuo, averfor.* Eam enim vim istius dictionis esse, non modò ex acerrima Dei cum populo Judaico contentione, textusque coherentia constat, sed & ratio loquendi per se talis est. Sic Deut. 25. v. 7. וְחַחֵן לֹא־וּפְחֵן explicatur per וְחַחֵן לֹא־וּפְחֵן renuit & וְחַחֵן לֹא־וּפְחֵן nō vult. Ita accipitur Job. 12. v. 14. Esa. 65. v. 12. Psal. 5. v. 5. Psal. 51. v. 18. Esa. 1. v. 11. 13. Malach. 1. v. 20. &c.

THESES. XV. Notetur genus mortis, quod h. l. intelligatur, non temporalis tantùm, & violenta mors, sed *spiritualis quoq;*, qua impij moriuntur in suis peccatis, nisi pœnitentiam egerint. Notanter dicitur, nolo mortem *morientis, sive pereuntis in suis peccatis.* Adeò nullius peccatoris mortem vult Dominus, nec ejusdem quidem, qui ob peccata sua moritur, peritque. Recte Hieron. *sup. cap. 33. Ezech. b. l.* Vita & mors hoc loco non significantur ea, qua omnes communium bestijs lege naturæ vel vivimus, vel morte dissolvimur, sed illa, de qua scriptum est, placebo Domine in regione viventium, & anima, quæ peccaverit ipsa morietur.

Ezech. 33.

THESES. XVI. Quod prætereà etiam juramento contestatur Ezech. 33. 11. *Vivo ego*, inquit Dominus, *nolo mortem impij, sed ut convertatur & vivat.* Ubi Piscator in Scholijs monet, hic esse geminam Ellipsin, sermo plenus esset: *Ut vivo, ita verum est, quod dico, Deinde si delector &c. non ero Deus.* Recte igitur reddit Lutherus. *So wahr als ich lebe / Ich habe kein gefallen am Todte des Sünders.* O Beatos, quorum causa Deus jurat. O miserrimos, si nec juranti Domino credimus, exclamat Tertullianus *lib. de penitentia cap. 4. additq;* *non precipit Deus, sed etiam hortatur: Invitat premio ad salutem, jurans etiam vivo, dicens, cupit sibi credi.* Idcirco enim jurat, ut si non credimus promittenti Deo, credamus salutem pro salute juranti, ut graviter monet Hieron. *Epistola 46.*

THESES.

THESES, XVII. Porro idem inculcatur *Sap. 1. v. 13.* Deus mortem non fecit, non lætatur in perditione vivorum *I. Thes. cap. V. v. 9.* non constituit nos Deus in iram, sed ut ad salutem consequamur per Dominum nostrum Jesum Christum. Notanter scribit Chrysoftomus *Homil. 46. operis imperfecti*: Quemadmodum in nobis alienum est benefacere, sic in Deo contra naturam est malefacere, & perdere. Quod ipsum Hieron. in Commentario, *supra Esaiam cap. 28.* prolixè inculcat, ostenditque, quomodo ibi *vers. 23.* dicat Jehova, se in ira & poenâ facere non proprium suum opus, sed alienum & peregrinum. Non est enim opus Domini perdere, quos creavit, sed facere opus alienum, quod ad crudelitatem magis, quàm ad clementiam pertinet. Et rursus id aliis verbis repetit, *ut operetur opus suum, non est opus ejus punire peccantes, sed peregrinum & alienum ab eo, ut puniat, qui Salvator est.* Hæc Hieron. dicto loco. *Bernhardus serm. 5. in Natal. Domin.* Deus ex se sumit seminarium miserandi; quod judicat & condemnat nos, eum quodammodò cogimus, ut longe aliter de corde ipsius miserationis, quam animadversio procedere videatur. Unde Gerson de remedijs contra pusillanimitatem non immeritò verissimam eam sententiam pronunciat: Deus quasi dolet, cum hominem per suam justitiam damnare debet propter hominis injustitiam; ex quo homo est imago Dei tam nobiliter creatus, & tam pretiosè redemptus.

THESES, XIX. Notabile prorsus dictum est *II. Petr. III. v. 9.* *II. Pet. III. v. 9.* Patiens Deus est erga nos, & non vult, ut ullus pereat, sed ut omnes convertantur. *μακροθυμεί τις ημᾶς*, longanimitate tolerat nos, ex misericordia differens iram, poenam sive ultionem, quæ vis vocis est *Matth. 18. v. 26. 29. Luc. 18. 7.* Ita nimirum *μακροθυμεί* dicitur, quasi *μακρύνω τον θυμὸν* prolongans animum sive iram. Quinam ergo sunt illi, qui sic *ἐν μακροθυμίᾳ* tolerantur? Magni peccatores, Impij, fontes, rei mortis, qui meruerunt iram, poenamq; & interitum *Exod. 34. v. 6. Num. 14. 18. Psal. 78. v. 39. Psal. 86. v. 15. &c.* Impœnitentes *Rom. 2. v. 4.* Vasa iræ *Rom. 9. v. 12* Sic & hoc loco intelliguntur non sancti directè, aut electi, sed peccatores, sed infideles, sed impij, impæctæ quoq; quorum conversionem expectat Deus, quibus propterea parcit. Neq; enim causa ulla est, cur hic recedamus à proprietate Sermo-
C nis, nec

nis; nec Apostoli scopus id patitur, qui *omnes omnino Judæos*, quibus scribit, commonere vult, atq; præmunire, ne ab empæctis seducantur *v. 13. 17.* Quin imò & ratio probandi, quàm hic at-
 textit Petrus, non stringit satis, nisi de impœnitentibus, Incredulis atq; convertendis, adhuc intelligatur. Cur enim, quæ causa est, quod Deus *μακροθυμῆι*, patienter tolerat homines? quia *non vult ullos perire, sed omnes converti.* Ecce non vult, ut pereat ullus. Ideo *μακροθυμῆι* est, etiam erga irrisores illos, qui criminabantur, *Deum tardare promissa*, non esse futurum extremum Judicium, *v. 3. 4. 9.* Hæc illa Dei voluntas est, quâ invitantur impij (actu moventur) ad pœnitentiam *Rom. 11. v. 4.* qua Deus serio vult, ne unus pereat. *Matth. 18. v. 14.* Quocirca concludimus cum *Augustino ex Articulis sibi falso impositis, articulo 16.* non est voluntas Dei, ut pereat unus: qui verò à pietate deficiunt, nec impelluntur, ut cadant, nec rejiciuntur, ut deserantur, casuri tamen, & recessuri ab eo, qui falli non potest, præsciuntur.

Benevolētissima Dei Voluntas.
I. Tim. II.

THESES. XIX. Sicuti vero Deus in suo interno beneplacito neminem lapsorum ex mera *εὐδοκία* vult præterire aut reprobare, non vult mortem sive interitum peccatoris; sic econtrâ beneplaciti sui voluntate serio vult, cupit, & desiderat vitam atq; salutem omnium omnino hominum. Audiamus Apostolum, *I. Tim. II. v. 4. 5.* *Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Unus enim Deus, unus etiam Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum pretium redemptionis pro omnibus. Disertè ait Apostolus, *Deum velle πάντας ἀνθρώπους salvari.* Quæ universalitas ibi notanter & emphaticè ponitur, & non semel urgetur; pro omnibus orandum esse hortatur Paulus *v. 1.* pro omnibus semetipsum dedit Christus *v. 6.* Deus vult omnes salvos *v. 4.* Correspondens ea sit universalitas necessum est. Notari vero simpliciter omnes homines & singulos constat (1) è serie orationis Pauline, in qua comprehenduntur omnes simpliciter, Ethnici, & Judæi, Impij, Apostata, Hymenæus & Alexander, qui fidei naufragium fecerant *I. Tim. I. v. 20.* hostes & persecutores Ecclesiæ, uti tunc erat Nero, Imperator Romanus (2) *A scopo Pauli*, qui est exhortari fideles Ephesios, ut preces fundant, intercessiones, & hostias spirituales offerant pro omnibus hominibus, etiam

bus, etiam infideibus. Cur autem? quia Deus *omnium* salutem & conversionem velit, seu expetat. Hæc ratio inductiva, & argumentum Apostoli est, quod sanè particulare aut strictius re probandum esse non potest, nec debet. Probatio accommodanda est ad conclusionem, non inscitè monet *Beza super b. l.* At vero debemus orare non pro electis tantum, aut bonis, non pro quibusvis tantum, aut generibus singulorum, ut *Beza, Piscator, alijq; Calvinistæ* hic commentantur, sed pro *omnibus omninò & singulis*, pro Tyrannis impijs, pro reprobis, quales tunc temporis plurimi erant in regno Neronis. Rectius *Marlorat.* ex ipso *Calvin.* super h. l. monet, *orandum esse pro omnibus mortalibus, ut imitemur Deum Patrem, qui solem oriri facit super bonos & malos Matt. V. v. 45. Christum, Luc. XXIII. 34.* Graviter *Augustinus* Epist. 107. ad *Vital.* frat. scribit, pro inimicis, & hoc orandum esse, ut fiat voluntas Dei, ut ex infidelibus fiant fideles, ut, qui antè noluerint audire doctrinam cælestem, & blasphemaverint quoq; demum assentiantur, & credant. Hanc scilicet gratiam convertendi à D E O petendam esse. Et hoc ex *Cypriano* comprobatur. Verba ejus hæc sunt. *Orationem Dominicam nosti, nec dubito, de Deo dicere, Pater noster, qui es in calis & c. lege. expositorem ejus beatissimum Cyprianum, pag. 273. & quemadmodum exposuerit, quod ibi dicitur: Fiat voluntas tua, sicut in cælo, sic & in terra.* Diligenter attende, obedienter intellige, perfectò docebit te orare pro infidelibus inimicis Ecclesiæ secundum præceptum Domini, dicentis, orate pro inimicis vestris, & hoc orate, ut fiat voluntas Dei, sicut in ijs qui jam fideles sunt, & portant imaginem cælestis hominis, & propterea cæli nomine digni sunt: Ita etiam in ijs, qui per infidelitatem nō nisi imaginem terreni hominis portant, & ob hoc terra meritò nuncupantur. Nempe isti, pro quibus inimicis Dominus nos jussit orare, & gloriosissimus Martyr sic exposuit, quod in oratione dicimus. Fiat voluntas tua, ut *in ipsis etiam poscamus fidem, quam fideles habent.* Nempe ergo isti Christianæ pietatis inimici legem Dei, atque doctrinam, quã Christus meditatur fides, vel omninò audire nolunt, vel ad hoc audiunt sive etiam legunt, ut irrideant & detestentur, & quanta possunt contradictione, blasphement. Inaniter igitur & perfunctoriè potius, quàm veraciter

C 2

pro ijs,

pro ijs, ut doctrinæ, cui adversantur, credendo consentiant, præces Deo fundimus, si ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem suam ipsi fidei contrarias hominum voluntates. Hæc Augustinus d. 1. Jam vide Argumentum Apost. orandum est pro omnibus & singulis mortalibus, etiam infidelibus & reprobis, quia Deus eorum omnium & singulorum cupit salutem, atque conversionem. (3. A studio veritatis cœlestis, quod simpliciter omnibus commendatur, omnibus agnitio veritatis inculcatur *Coll. I. v. 18. Act. 13. v. 46. 47. c. 20. v. 18. 19. Sc. I. Tim. I. v. 20.*) (4.) A connexis & contextu. Omnium & singulorum unus est Deus, unus mediator, Christus, Salvator, omnibus datus est *Job. 3* Sic Deus dilexit mundum &c. Concluserunt Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereatur. *Rom. XI. v. 32.*

I. Tim. IV. THES. XX. Insigne ac notabile dictum est, quod legitur *I. Tim. 4. v. 20.* Deus est salvator omnium, maximè fidelium. Quæ sententia subtilissimæ brevitatis & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam, quæ de gratia Dei salvifica agitatur, controversiam dirimit, teste *Prospero lib. 2. de Vocat. gent. cap. ult.* Dicendo enim, qui est salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei super universos homines esse generalem: *adjiciendo autem maximè fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei* (verba *Prosperi* sunt, quodnam, aut quale illud fidei meritum sit, alibi disputatur) *divinitus inspiratæ ad summam, sive aternam salutem specialibus beneficiis provebatur.*

Prosper.

THES. XXI. Huc faciunt parabolæ de magna cœna *Luc. 14. v. 16. 17. 32.* De nuptijs regijs. *Matth. 22. v. 2. 3. 9. 10.* Ubi invitantur multi etiam illi, qui nolunt venire. *Et egressi servi ejus in vias congregaverunt omnes, quotquot invenerunt, malos pariter ac bonos.* Sic ergo seriò vult, ut omnes omninò homines veniant, convertantur & salventur.

THES. XXII. Hoc igitur primum catholicæ & Salvificæ fidei principium est, *Deum velle omnes homines salvos fieri.* Quod primò omnium considerandum & profitendum esse inculcat *Prosper. lib. 2. de Vocatione gentium c. 1.* (Hi libri inter opera *Ambrosij* habentur, quorum & autor nonnullis creditus fuit, sed verè sunt

Sunt ipsius Prosperi) quem Wittackerus alterum Augustinum non immeritò vocat *lib. de peccat. Origin. pag. 120.* Ille porrò c. 8. ibid ait, *sive novissima contemplamur secula, seu prima, sive media, rationabiliter & piè creditur, omnes homines vult Deus salvos fieri, sed qui veniunt auxilio Dei diriguntur, qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur.* Etiam August. de artic. sibi falsò impositis Artic. 2. disertè scribit & graviter contestatur, *sincerissimè credendum esse, atq; profutendum: Deus vult omnes salvos fieri, ex quibus tamen quod multò pereunt, perientium est meritum.*

THESES. XXIII. Varius quidem hic est Aug., & diversimodè interpretatur dictum Apostoli *1. Tim. 2. v. 4.* adeò ut non tres modò, sed & quatuor, imò & quinq; expositiones ejus enarrari soleant. Vasquez Disput. 38. fol. 327. tres, Tannerus tom. 1. Disp. 2. quæst. 10. dub. 4. fol. 525. quatuor recenset. Prima sumitur ex *Enchirid. cap. 103.* ubi docet, Deum velle salvari omnes, qui salvantur, ita ut nullus salvetur, quem Deus non vult salvari. Quam vocant distributionem accommodam. . . Altera est, quod part. omnis sumatur *pro generibus singulorum*, ex eod. *Enchirid. d. 1.* Tertia habetur *lib. de corrupt. & Grat. cap. 15.* ubi *vult, explicat, per facit nos velle*, ut ex judicio sive affectu charitatis velimus omnes salvos. Quarta est de inefficaci quadam Dei voluntate ac signi. Quinto exponit synechdochicè, quasi totum accipiatur pro parte, tanquam toto *Epist. 59.* Quocirca nò immeritò authoritati August. derogant non pauci, etiam è Papistis. Gregor. de Valent. tom. 1. Disput. 1. quæst. 23. punct. 4. notat Augustinum indicare tantum eum divinæ voluntatis modum, quo Deus non omnes absolutè, sed omnes duntaxat, qui salvantur, vult salvos fieri, nimirum voluntate consequent. & efficaci *lib. de prædestin. Sanct. c. 8. lib. 4. cõtr. Julian. c. 8. & c.* Addit v. potuisse eum addere ad animorù necessariam consolationè, *aliù modum voluntatis*, quo Deus omninò omnes vult salvos fieri, nimirum voluntate antecedente hoc ipso, quod omnibus offert necessariam gratiam, quantum est ex se propter Christum, qui mortuus est pro omnibus, ut August. ipse docet *tract. 92.* In *Johan. Christi*, ait: *sanguis ita in remissionem peccatorum omnium fusus est, ut ipsum etiam peccatum posset delere, quo fusus est.* Ve-

est. Veruntamen ita se explicat S. Augustin. ut ejusmodi variæ expositiones non contrarientur apertissimæ veritati, in qua videmus multos, Deo nolente, salvos non fieri. *In Epist. 107. ad Vital. frat.* disquirat, quomodo dicatur, Deus velle omnes salvos fieri, cum multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ul la caligine patet in parvulis: Respondet autem, sicut illud, quod dictum est, *omnes in Christo vivificabuntur*, cum tamen multi æternâ morte puniantur, ideò dictum est: Quia omnes quicumq; vitam æternam percipiunt, non percipiunt, nisi in Christo: ita quod dictum est, omnes homines vult Deus salvos fieri, cum tamē multos nolit salvos fieri, ideò dictum est, quia omnes, qui salvi fiunt, nō nisi ipso volente fiunt, & si quo alio modo illa verba Apostolica intelligi possunt, ut tamen huic *apertissimæ veritati*, in qua videmus tam multos volentibus hominibus, sed *Deo nolente* salvos non fieri, contraria esse non possint. Quin porro loco supra citato Artic. 2. disertè scribit, docetq; *Deum velle omnium hominum salutem*. Quem locum cum Paræus mutilatè adducat, placet integrum hîc adscribere. Sic verba S. Augustini se habent: *Quomodo fieri potest, ut Deus, qui etiam illos salvat, de quibus dici non potest, quod salvari velint, nolit aliquos salvare, qui etiam salvari velint, nisi aliqua causa existant. De quibus, quamvis sint nobis in- noscibiles, ita tamen judicat, de qua dici non potest, aliter quicquam, facere debuisse, quàm fecerit. Remota tamen ergo hac discretione, quâ divina scientia intra secretū JUSTITIÆ SUÆ (hæc duo vocabula Paræus studio omisit) continet, sincerissime credendum est, atq; profitendū, Deū velle, ut omnes homines salvi fiant: siquidem Apostolus, cujus ista est sententia, solícite præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custoditur (& hæc verba sunt à Paræo astutè prætermissa, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur. Ex quibus, quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum. Ut enim Reus damnetur inculpabilis est Dei justitia: ut autem Reus justificetur, ineffabilis Dei gratia est. Hactenus verba Augustini. Confer D. Sigwart. in *admonit. Christian. de Irenico Paræi lib. 3. c. 3. art. 7.* ubi de hoc Augustin. loco prolixè agit, eumq; à Paræi corruptelis egregiè vindicat. Sed & porro satis se explicare videtur.*

August.

August. lib. de spir. & lit. cap. 23. lib. de Nat. & Grat. cap. 67. Deus inquit, multis modis aversum vocat, docet credentem, consolatur sperantem, diligentem adhortatur, conantem adjuvat, exaudit deprecantem. Confer lib. i. de Gen. contr. Manich. c. 3. In respons. ad art. sibi falso impositos.

THEs. XXIV. Quicquid tandem sit de mente August., ea omnia quæ hæcenus allata sunt, satis superq; ostendunt atque evincunt, benevolentissimam & misericordissimam esse Dei voluntatem erga omnes lapsos, miserosq; peccatores, ita ut ex mera sua *εὐδοκία*, ex solo beneplacito neminem velit deserere, aut relinquere in miseria sua, neminem præterire in gratiæ collatione, & oblatione ac salutis reparatione, sed potius omnium peccatorum misertus, omnes in gratiam recipere cupiat, adeoque in reparatione generis humani omnibus gratiam & salutem præparat, spondet, offert, denunciatur, ut ea fruantur, indeque salventur. *In communi posita est Dei misericordia, nemo illius expers, nisi qui renuit.* Bernh. serm. i. in purificatione Mariæ. *Ultiq; qui legem omnibus dedit, nullum excepit à salute.* Ambrosius in comment. super. i. Tim. 2.

THEs. XXV. Quæ Universalitas benevolæ voluntatis divinæ luculenter patet 1. Ex totali omnium lapsorum reparatione. Quotquot enim per Adamum perierunt in lapsu ejus, illi omnes per ejus reparationem vindicantur in pristinam felicitatem. *Matt. 18. v. 11. Rom. 5. v. 17. 18. 19.* 2. Ex gratiosissima Christi missione. Christus enim promissus omnibus, mortuus est pro omnibus, uti suo loco demonstratur. 3. Ex Universali omnium hominum vocatione & verbi promissionis annunciatione. Cuicumque enim annuntiatur Dei Evangelium, illi sincerè Deus offert suam gratiam. Certè verbum Dei scriptum est omnibus in salutem. *Job. 5. v. 39. 40. cap. 20. v. 31. Rom. 15. v. 4. 2. Tim. 3. 15, 16.* Ministerium spiritus institutum est omnibus in salutem 1. *Thef. 1. v. 28. 2. Cor. 3. v. 6. &c.* Unum idemque est symbolū Apostol. quo credant omnes remissionem peccatorum, & vitam æternam, omnes orent, pater noster, & remitte mihi peccata &c. 4. Ex æquali Sacramentorum administratione. Quæ omnibus & singulis admini-
strantur

strantur in remissionem peccatorum, in adoptionem & justificationem. De quibus omnibus & singulis infra ordine agendum erit.

THESES. XXVI. Et hæc thesis atq; sententia nostra est de benevolentiss. & misericordiss. Dei voluntate erga omnes omnino homines. Contra disputant Calvinistæ atq; ingenti varioq; molimine contendunt, Deum in suo interno beneplacito non velle salutem omniū, sed potius ex merâ εὐδοκία, ex absoluto decreto plurimos reprobasse à gratia, nec illorum misereri unquam voluisse. Hoc suum dogma & palàm olim professi sunt primores sectæ Calvinisticæ, & hodieq; communiter omnes, paucis exceptis, qui amplitudinē gratiæ divinæ speciosè profitentur, hanc causâ ita versant, ut linguâ nō rarò mutēt, mentē ubiq; eandē teneant, foveantq;. Id scilicet fatagunt, ut ὁμοια λαλεῖν videantur, prætendentes, Deū salutē omnium hominum velle *voluntate signi*, non beneplaciti; *voluntate revelata*, non abscondita; *voluntate approbationis*, non decreti & operationis; τῇ εὐαρεσίᾳ, non τῇ εὐδοκίᾳ; velle σωθῆναι omnes, sed nolle πώζειν: Velle omnes invitare ad salutem, non seriò cupere: Velle omnes servari, si ad veritatis perveniant agnitionem. Communiter Uiversalia Evang. dicta restringunt ad genera singulorū, ad ordines statusq; hominū omnium. Recentiores scribunt, velle Deum omnes homines salvos fieri *voluntate approbante, precipiente & promittente, operante, non tamen necessitante*, & quæ alia hujus generis glaucomata sunt, quibus errores suos interpolare conantur hodierni Calvinistæ. Quæ qualia sint, in subsequentibus disputationibus Bono cum Deo ordine dispiciemus.

SOLI DEO GLORIA.

05 A 1461

ULB Halle

3

003 777 901




56

1017







EXERCITATIO TERTIA
*De ordine decretorum divinatorum in salute humani generis
constituendâ, & primò quidem*
De
VOLUNTATE
DEI BENEVOLENTIS-
SIMA ET MISERICORDISSIMA
ERGA TOTUM GENUS HUMANUM,
Sub benevolentis- & misericordis. DEI auspicio,
IN INCLUTA WITTEBERGENSIUM ACADEMIA
ad disputandum publicè proposita,
PRÆSIDE
JOHANNES SCHARFIO, SS.
Theol. D. Prof. Publ. & Amplissimi Collegii phi-
losoph. h. t. DECANO SPECTABILI,
RESPONDENTE
M. HARTVVICO Sittmann /
Otterndorpiò-Hadelensi
IN ACROATERIO Colleg. Veteris,
Ad diem XVII. Februarij. hor. matut.

WITTEBERGÆ,
Ex Officinâ typographicâ JOHANNIS HAKEN.

ANNO M. DC. XLIIIX.